





34 17.46.

Curriculum dita f. L. ab Ewig  
Paf: Prim: 22. Iulij. 1717.

ORDINIS THEOLOGORVM 39  
IN  
ACADEMIA VVITTEMBERGENSI  
H. T.

DECANVS  
**GOTTLIEB**  
**VVERNSDORFIUS**

THEOL. DOCT. ET PROFESS. PVBL. ORDIN.  
AEDIS OO. SS. PRAEPOSITVS, ET SENAT.  
ECCLESIASTICI ASSESSOR

LECTVRIS  
SALVTEM PLVRIMAM DICIT.

De Cosma et Damiano tutelaribus  
et patronis Facultatis Medicæ in  
Academia Wittebergensi.

Summe - Vener. et  
Viri  
Dr. D. Pieter  
Theolog. univ.  
berlin  
Prof. R. Pet. et  
Cone. Aut. prymar

35 4,45.

Nou idu Sitz gott von Dico Fijlter sind gesetzet  
dich die ist aller laender v. Staude auf so jas die  
Gruen haben. des Academie Hitzburg Sitz gott  
in allen Faculteten auctor reverent ist. s.  
gesagt das die Medicis Cofram u. Dammanum  
gesabb I am 22. Febr. 1519 im folgenden  
biens presente Duke Pomerania t. b. Red:

ANHEBENDOC  
THEO ET PROGRESSUS PAUL ORDIN  
VENS CO. SS. P. MARCOPOLI ET SENAT  
ECCESTERIUS LUDVIGI ASSessor  
LECTARIIS  
SILVATERI SILVARIANI DICIT



um alia multa instituunt Pontificii,  
ac docent, quae cum Scriptura, &  
revelatione divina, conciliari non  
possunt, tum id praecipue, quod,  
mirabili prope cum confidentia, suos  
quasi turelares Deos, quos ipsi Pa-  
tronos vocant, non singulis modo  
~~imperiis, nationibus, provinciis,~~  
& civitatibus, sed hominum quoque generibus, ordini-  
busque, assignant. Germaniae quippe, Bonifacium, Hispa-  
niae, Jacobum, Ungariae, Mariam, Scotiae, Andream, Fran-  
ciae, Martinum, & Dionysium, Russiae, Nicolaum, Bojana-  
iae, Josephum, Venetis, Marcum, Neapolitanis, Januari-  
um, Romanis, Petrum, & Paulum, Mediolanensis, Am-  
brosium, Saltzburgensis, Rudbertum, Wurtzburgensis,  
Kilianum, Pragensis, Wenceslaum, aliis, alium, cum di-  
gnitate Patroni, praefesse statuunt. Quin & Literatis, Gre-  
gorium, & Hieronymum, Militibus, Georgium, & Mau-  
ritium, Venatoribus, Hubertum, Pictoribus, Lucam, Nau-  
tis, Nicolaum, Textoribus, Severinum, Sutoribus, Crispini-  
num, Fabris, Wolfgangum, Colonis, Albanum, Viduis,  
Gertruden, ipsis denique meretriculis, Mariam Magdale-  
nam, cum primis patrocinari contendunt. Nimirum, ex  
quo miseri mortales Christum Servatorem pro rigido po-  
tius judice, quam propitio mediatore, habere, illiusque gra-  
tiae dissidere cooperunt, hoc etiam necessario emersit, ut,  
procul interprete, ac Patrono, ad Deum adire suis in ca-  
lamitatibus vererentur. Quia vero divinis sese beneficiis  
carere non posse intelligebant, hinc nunc ad Angelos,  
nunc ad Deiparam, nunc ad coelites reliquos, recurren-  
dum sibi esse putabant, quo horum saltem deprecatione,  
ac meritis, obtinerent, quae alioqui suis non deberi, sponte-

assequebantur. Quod institutum ne ipsi quidem saniores  
Papistae ab Apostolis sustinent derivare, quando invocatio-  
nis Sanctorum primordia vel ad *Origenis*, vel etiam *Petri*  
*Gnaphei*, aetatem, rejiciunt. Crevit autem cum tempore  
supersticio, cum superstitione Divorum admiratio, ut ho-  
mines, divinarum promissionum prope oblii, in Divorum,  
martyrumque, meritis, acquiescerent, horumque fiducia  
nihil non ab immortali Deo sese impetraturos esse, con-  
siderent. Hinc rario Dei, crebrior Mariae, ac Divorum,  
invocatio est exorta, cum tanto quisque faciliori opem  
ab his sibi promitteret, quanto vel suis ipsius meritis, vel  
Numinis etiam bonitati, fuisse diffisus, non sine injuria  
Servatoris, cuius de meritis, & in meritis innixa interpel-  
latione, manifesto detrahebatur. Intolerabilis profecto *Bru-*  
*genfis OSORII* vox est: *Multa petuntur a Deo, nec obtinen-*  
*tur: At petuntur a Maria, & obtinentur.* Quod revera-  
est, Deum infra Mariae dignitatem deprimere, eundem-  
que vel potentiae, vel etiam invidiae, postulare. Ante  
igitur quam, beneficio Dei, per LV THERVM sacra repur-  
garentur a sordibus, quas per longum temporis spatium,  
culpa non unius, collegerant, vix quisquam erat, saltem  
in Occidente, qui non a puer deligeret sibi quandam e  
Divis, quem prae ceteris coleret, ac nullis non obsequiis,  
precibus, ac ceremoniis, sibi conciliare studeret. Huic se  
totum devovebat uni, in hunc intuens, hunc observans,  
bene de se, fortunisque suis, sperabat. Diceres, Christia-  
nos degenerasse in ethnicos, usque adeo totos ad horum  
sese instituta, & placita, componebant. Nam quod illi  
singulis hominum generibus singulos praeficiebant Deos,  
id ab Ethniciis petitum esse, qui Minervam *studii*, Mar-  
tem *militiae*, Aesculapium *medicinae*, Lucinam *puerperis*,  
Vulcanum *fabris*, Neptunum *nautis*, praecipue favere, ar-  
bitra-

bitabantur, ne ipse quidem LIN DANVS sustinet diffiteri.  
Tum vero nec deerant, qui ex omni Deorum, Dearumque, numero, nunc hunc, nunc illum, praecipua sibi ceremonia colendum deligerent. Namque & Syracusanus ille Timoleon Avtomaten, seu fortē fortunam, & άγαθήν τύχην, velut in deliciis habuit, ac singulari in facello, teste NEPOTE, coluit, & Alexander Severus, Imperator, Virgilii, ac Ciceronis, imagines, suo in larario, ut auctor est LAMPRIDIUS, Deorum loco habuit, ac studiofissime observavit. Quem profecto morem, quicquid etiam obnuntient nonnulli, qui, Papistas ullius superstitionis exemplum ab ethnicis sumptuisse, negant, imitati mihi esse videntur, quotquot e Divorum numero peculiares Patronos, vel sibi, vel aliis, sumpererunt. Quod institutum ubi semel Doctorum judicio est probatum, tum id, morbi epidemii instar, animos omnium occupavit. Ipse hujus Academiae Conditor, FRIDERICVS, nec enim id est celandum, cui alioqui, sparsa per Europam prudentiae fama, Sapientis peperit cognomen, quoad, Papisticis illis opinonibus immersus, haesit, (meliora enim a LVTHERO edotus, in unius Christi meritis acquievit,) SEBASTIANVM praecipue coluit, cuius etiam imaginem, affabre pictam, una cum ipsius Electoris venerabundi statua, in Aede OO. SS. ad altare conspicimus. Idem vero, cum hanc Academiam, velut quandam ex se filiam, procrearet, singulis illius Ordinibus, quos vulgo Facultates vocamus, Patronos singulos, Theologis quidem Augustinum, Hippomenium Praefulem, Jctis Iwonem Carnotensem, Medicis Cosmam, & Damianum, Philosophis denique, Catbarinam, virginem, assignavit, ea lege, ut suum quisque Patronum religiosius coleret, ejusque memoriam quotannis, stato tempore, celebraret, ac denique nullis non supplicationibus, sacrificiis

Uf alle Fac  
J. S. 2. R. 4.  
Fakten zu  
Teog dor 8. f.  
götter venet

missaticis, studiis denique, ac ceremoniis, demulceret.  
Fallor? an FRIDERICVS a Vindobonensi Academia  
sumpserat exemplum. Namque hujus etiam singula mem-  
bra, verba sunt MIDDENDORPII, peculiarem sibi apud  
Dominum Deum patronum elegerunt, cuius intercessionem ma-  
jorem in literis progressionem facerent, Theologi Joannem  
Evangelistam, Jcti S. Iponem, Medici SS. Cosmam, & Da-  
mianum, Philosophi, Oratores, & Poetae, S. Catharinam.  
Ultut ista se habeant, etiam in his otiosis, atque inanibus,  
pro conditione illorum temporum, nonnulla sapientiae  
suae vestigia reliquit. Quod enim Augustinum Theologis  
dederat Patronum, causa erat, quod quendam ex Augu-  
stini familia, suis sumptibus, sacras docere literas, hac ipsa  
in Academia, volebat. Iponem Jctis tribuerat, quod is  
& decreta Pontificum collegerat, & justitiae studium san-  
ctitate non minus, quam doctrina, provexerat. Cathari-  
nam Sapientibus assignarat, quod eadem, post castitatis  
laudem, etiam literarum fama floruerat. Cosmam denique  
& Damianum, Medicorum Ordini praefecerat, quod illos  
duumviros, Medicorum etiam religionem aliquando bo-  
nam esse posse, suo ipsorum exemplo demonstrarant. Si  
enim Adoni Viennensi, Bedae venerabili, & reliquis mar-  
tyrologis, est credendum, hi duo fratres fuerunt, ortu  
Arabes, religione Christiani, arte Medici. In curationi-  
bus tanta utriusque felicitas fuit, ut morbis etiam insana-  
bilibus mederentur. Cognita eorum religione, Lysias, prae-  
fectus, eosdem ad se adduci jussit, ac de vitae instituto,  
juxta & religione, interrogatos, quum se & Medicos, &  
Christianos, dixissent, Christianorum autem fidem ad ob-  
tinendam salutem, apprime necessariam esse, magna cum  
libertate oris, professi essent, Deos initio venerari jussit,  
cumque recusassent, diros cruciatus, ipsamque necem,  
mina-

minatus fuit. Verum, ut haec frustra se illis proponere intellexit, colligare jussit utriusque manus, & pedes, eosque exquisitis torquere suppliciis. Quo facto, cum *Cosmas*, & *Damianus*, nihilominus persisterent in sententia, eos, ut erant vinciti, projici jussit in profundissimum mare. Unde cum non modo salvi, sed soluti etiam, emersissent, magicis artibus, quod virtuti Dei tribuendum erat, adscribens, in carcerem rapi jussit Praefectus, postridieque eductos imponi rogo curavit. At cum hic etiam flamma refugeret, varie, & crudeliter, tortos, securi demum percuti voluit, anno recuperatae per Christum salutis, plus, minus trecentesimo. Horum utriusque beneficio cum Justinianus, Imperator, e morbo gravissimo eluctatus sibi viseretur, in honorem eorum, ut *PROCOPIVS* refert, magnificam extruxit aedem, ad quam & aliam, in Pamphilia, iisdem martyribus dedicandam, adjecit. Eodem tempore *Sabas*, celebris Laurae Monasterii, vel potius Academiae, conditor, e Cappadocibus oriundus, paternam domum in aedem *Cosmae*, ac *Damiano*, sacram, mutavit. Denique horum sub titulo Felix Papa, Gregorii M. atavus, JOANNE DIACONO teste, Basilicam Romae, juxta Romuli templum, erexit, eorundemque honori tum in Palaestina non nullum, quod a multis eo peregrinantibus frequentatum fuit, tum in Saxonia, inferiore cum primis, dedicatum fuisse, usus, & historiae, testantur. Horum igitur ut ingens opinio fuit; sic, ut Medicæ artis, hac in Academia, Doctores eosdem, pro Diis quasi tutelaribus, & Ordinis sui praesidibus, agnoscerent, diemque Septembbris XXVII. qui alioqui eorundem memoriae sacer erat in fastis, ipsis etiam solennem, festumque, sibi haberent, legè peculiari FRIDERICVS præceperat. Ad eundem frequentandum Rector, & reliqui Academiae proceres, invitari quotannis, Ordinis autem

Deca-

Dfg

1519.

gotz Lay dor

Medico sum  
atid cele:  
brisb.

Decanus, cum Collegis, honoris ergo, proximum a Restore locum, in sacris, & solennibus, illo die, habere debabant. Memini, me nostris in Annalibus legere, anno adhuc seculi decimi sexti decimo nono, quum biennio ante D. LV THERVS emendare sacra coepisset, in aede OO. SS. Medicos sua isthaec solennia celebrasse, curante illa cum primis Ordinis sui t. t. Decano, Thoma Eschao, Medico celebri, praesente BARNIMO, Pomeraniae Duce, Academie hujus t. t. Rectore. Denique ut *Cosmae*, ac *Damiani* imagines Collegii sui sigillo insculptas haberent, Clementissimus Academiae Conditor, FRIDERICVS, instituerat. Atque hoc quidem etiamnum usurpat, ac retinet, gratiosissimus Ordo: ceterum malesanam illam de *Cosmae*, ac *Damiani*, praefidio, persuasionem, simpliciter abjecit. Nec enim, exorta Evangelii luce, diutius poterat ignorare, eandem ne quidem cum recta ratione, nedum divina revelatione, posse conciliari. Quis enim credit, Divos, vel omnium, & singulorum, quae apud nos aguntur, curam gerere, vel etiam singulis curandis sufficere? Praeter voluntatem propitiam, Eum nosse, ac posse omnia, oportet, a quo, emergentibus difficultatibus, opem, ac solatum, tum petere, tum expectare, debemus. At *Cosmas* nescit nos, & *Damianus* ignorat nos: Tu autem, Domine, Pater noster, Redemptor noster, a seculo nomen tuum, dicimus cum Jesaia, Propheta. Fingamus, Divos ad beatissimum Numinis conspectum admissos, plurimum apud eum gratia, & auctoritate, pollere. Largiamur & illud, eos generatim pro salute, ac incrementis divini coetus, perpetuo deprecari. Ecquis nobis fidem fecerit, Divos, decem, & amplius abhinc seculis, defunctos, certo certius nosse, hoc, illove, anno, in hac, illave, urbe, hujus, illiusve, auspiciis, conditam esse scholam, quatuor omnino vel Ordinibus,

bus, vel Collegiis, distinctam, quorum uni, ac sigillatim ordinis tertio, praeesse debeant? *Quis me certiorum reddiderit, eos & statum nostrum exacte cognoscere, & ceremonias, quibus eorundem memoria celebretur, cum inspicere, tum probare, preces ad se a nobis directas intelligere, intellectas ad Deum referre, & ab hoc praeſentissimum auxilium potentibus exorare?* Coelestibus quibusdam angariis, vel Angelicis cursoribus, opus foret, per quos de iis, quae gerantur in terris, in continentis doceri possint, siquidem tam familiare, & constans, Coelites inter & mortales intercedere deberet commercium. Scriptura vero hujusmodi persualiones non solum non propinat, ac fovet, sed improbat etiam, ac vitare jubet. *Ego enim Jebova, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo,* dicit Dominus, Ies. XLII, 8. *Dominum igitur Deum tuum adorabis, & ei solis seruies,* juxta mandatum Jesu. Ad hunc nos recipere, ad hunc preces nostras deferre, ab hoc, si salvi esse volumus, opem postulare debemus. Ipsum vero de illis Collegiorum Academicorum Divis tutelaribus institutum recentius, nec multorum seculorum inventum est. A Vindobonensi enim, MIDDENDORPIO teste, inde ab anno 1427. demum obſervatum, utut duobus ante seculis, Anno scilicet 1237. a FRIDERICO II. Imperatore, eodemque Siciliae, Apuliae, ac Hierosolymorum, Rege, sit condita, omnesque alias in Germania, praeter Colonensem, vetustate vincat, ut LAZIUS auctor est. Recte igitur fecerunt Majores nostri, quod meliora per LVTHERVUM edocti, Coelestibus illis collegiorum Patronis, remisso nuntio, in unius Dei, & Servatoris nostri Iesu Christi, bonitate, ac meritis, fiduciam collocare coepерunt, utut de cetero petitos ab iisdem templorum titulos, consuetudinis, & discriminis, ergo retinuerint, & nunc etiam Stadae, aliisque in locis, aedes sacrae a COSMA, & DAMIANO, habeant nomen.

)C)

Facile

Facile jam patebit, cujus in gratiam hoc maxime  
argumentum a nobis sit disputatum, si, quae nobis ad  
scribendum occasio data fuerit, aperuerimus. Scilicet nu-  
per admodum *Vir Plurimum Reverendus, Nobilissimus, Am-*  
*plissimusque*, M. IO. HERMANNVS AB ELSWICH, huc-  
dum *S. Theologiae Candidatus, & Ordinis Philosophorum bac-*  
*in Academia Assessor*, ad COSMAE, ac DAMIANI, in ea-  
dem Urbe Stadensi, aedem, primarius est constitutus Pastor.  
Qui, quum ex dignitate muneris sui putet, summos in Theo-  
logia honores capessere, nostrum est, ejus de natalibus,  
doctrinaque, ac moribus, paucis exponere. Natus est  
Rendsburgi, Urbe in Holsatia populoſa, & nobili, patre  
Viro Perquam-Reverendo, *Henrico ab Elswich*, Verbi Dei  
ea in Urbe ministro, pio, gravi, cordato, matre *Margareta*  
*Molleria*, honestissima femina. Utroque parente in prima  
sua pueritia orbatus, una cum fratre, *Christiano Henrico*,  
quem sese studiorum, laborumque, socium, eumque fide-  
lissimum habuisse, non parum gaudet, LUBECAM, infe-  
rioris Saxoniae Ocellum, & Urbium Hanseaticarum caput,  
se contulit. Hanc erga se, fratremque suum germanum,  
non minus expertus fuit benevolam, quam majores sui,  
qui ob religionem patriis sedibus expulsi, in eadem initio  
fortunarum suarum perfugium, mox sedem, invenerant.  
Floret enim Urbs illa gloria, quod pietate, ac munificen-  
tia, erga miseros, afflictosque, excellat, ac omnes prope alias  
beneficiorum multitudine, amplitudine, ac facilitate, vin-  
cat, ita ut literarum, juxta & literatorum, benignissima nu-  
trix jure merito salutetur. Invenit autem in ea fideles etiam  
Magistros, WIDAM, PAGENDARMIVM, LIPPENIVM, SVANTENIVM,  
GOLDELIVM, quos quidem honoris ergo nominari voluit No-  
ster. Omnibus vero anteferendum censem Summe Venerabi-  
lem, & dere sacra non minus, quam literaria, meritissimum  
Lubecensis Ecclesiae Praesulem, D. GEORG. HEINR. GOETZIVM,  
cui

cui non solum ob eruditissimas, quibus magno suo com-  
modo Noster interfuit, in auditorio Catharinali praelectio-  
nes, sed & infinitas singularis benevolentiae significaciones  
tantum sese debere fatetur Noster, ut, dum vixerit, in ejus  
sese aere futurum, praevideat. Hoc pacto praeparatus, Ro-  
stochium abiit, in eaque praeter AEPINVM, dexterimum Sa-  
pientiae Doctorem, audivit immortalis famae Theologos,  
GRAPIVM, QVISTORPIVM, GRVNEBERGIVM, & qui  
nunc famam illius Academiae, cum Collegis celeberrimis,  
feliciter sustinet, KRACKEVVIZIVM. Inprimis se appli-  
cuit ad FECHTIVM, invictum illum veritatis divinae vin-  
dicem, quem anno abhinc, hoc ipso, quo haec scribi-  
mus, mense, irreparabili prope cum Ecclesiae jactura, hu-  
manis rebus exemptum esse, dolemus. Hic filii eum lo-  
co habuit, studioseque fovit, nulloque non humanitatis,  
& benevolentiae, genere, est complexus. Rostochio Li-  
psiam migravit, qua in Academia cum integrum fere com-  
moratus esset biennium, Jenam discessit, deditque se  
in disciplinam D. FOERTSCHII, quem nullis non ingenii,  
ac literarum, dotibus, eminere, senioris autem doctrinae  
tenaciorem esse, norat. Ab hoc indies magis, magisque,  
veritate subactus, *Breviarium Controversiarum moderna-  
rum*, scripsit, & ejus sub praesidio feliciter defendit. Tan-  
dem in hanc Almam se contulit, Fechtii, Foertschiique, li-  
teris, mirifice commendatus, ab eaque non solum doceri,  
sed & cumprimis ornari, voluit. Lauream igitur Philoso-  
phicam, quam dudum meruerat, de manu Jo. GVL. BER-  
GERI, V. CL. accepit: hinc cathedram superiorem, duce  
WICHMANSHVSIO, Literatore pariter celeberrimo, con-  
scendit, tribusque omnino Disputationibus, Melchisedeci hi-  
storiam, a Juriaci, & Hulsi, cavillationibus vindicavit. Ad-  
didit & aliam, de Critice a recentioribus quibusdam in Co-  
dicum novi foederis infeliciter exercita. Scholas denique

in Sapientiae studiis, & mature aperuit, & frequentissimas  
habuit. Quibus quidem ingenii, & doctrinae, praeclaris  
speciminiibus, cum se Academiae Patribus commendasset  
non parum, ipsi Philosophorum Collegio est adscriptus. Ab  
hoc tempore ad divinorem illam disciplinam, quam Theo-  
logiam vocamus, se totum convertit. Cujus in cognitio-  
ne cum sibi confirmatus quodammodo videretur, potesta-  
tem privatim eam docendi, ab Ordine sibi nostro modeste  
petit, eandemque, cum *Diascepsin Hunnianam* contra  
*Strimesum* defendendo, me Praeside, in ipsa Divi Luthe-  
ri Cathedra preeclare stetisset, facile accepit. In his au-  
tem omnibus & tentandis, & exsequendis, magno ei tum  
subsidio, tum levamento fuit, quod eidem incomparabili  
illo *Schabbeliano* beneficio, cuius Canorem *LVBECA* tue-  
tur, per annos complusculos frui, ab Amplissimis illius Cu-  
ratoribus datum fuit. Absque hoc enim, nec tot annos in  
Academiis haerere, nec tantas in sacris, profanisque, lite-  
ris, progressiones facere, nec tot sumptus in libros coemen-  
dos impendere, nec denique ad illum, quem hucdum te-  
nuit, honoris gradum, ascendere potuisset. Hoc ipso au-  
tem maestatus, suo deinceps exemplo testatum fecit, non  
male illum docere posse, qui bene didicit. Sive enim pro-  
fana, sive sacra, preelegere vellet, ad eum audiendum ju-  
ventus studiosa confluxit, novem quotidie horis in eam in-  
stituendam impensis, cum interim de suo in persequendis  
literis fervore, nihil remitteret, nocturnoque insomnis o-  
livo, quod Poeta dicit, immoraretur. Illa sane scholarum  
multitudo non obstatit, quo minus & Dissertationes nu-  
mero plurimas scriberet, & justos libros conficeret, miran-  
tibus omnibus, qui tot tantisque ferendis laboribus par-  
esse posse, quod a natura accepit, corpusculum. Vidimus  
enim, nec sine voluptate perlegimus, duas de *Formula*  
*Concordiae, in Dania minime combusta, Dissertationes*, anno  
ab hinc


ab hinc iterum, & locupletius, editas : Vidimus *Observationes Philologicas ad Witteri Commentationem in Genesin*, una cum *Epistola Apologetica, Witteri calumniis, & intemperii opposita* : Vidimus *Philosophumena, Viris sanctis temere affecta, recentiores de Atheismo*, nec non *recentiores de anima controversias* : Dissertationem de *Palinodia Fanaticorum*, item de *Magis Bethebicum projectis*. Edidit praeterea *Maturini Simonii de literis pereundiibus libellum*, cum praescriptione quadam, ac notis eruditis, nec non *Epistolas familiares* varii argumenti, quas antea MSctas posse derat, cum notis, ut alia omittamus, quorum nunc memoria non subit, indicem vero per modestiam auctoris habere non licuit. Denique tam assidue didicit, ut nunquam docere posse, tam continenter docuit, ut nunquam discere posse, videretur. Adjecit vero & mores, persona sua dignos, & veritatem cum modestia, pietatem cum industria, perpetuo copulavit, ut dubium fuerit, doctiorne, an melior, judicari deberet. Mihi saltem ob utrumque fuit in pretio, &, ut sius olim Paulo Timotheus, in deliciis habitus, tanto quidem magis, quod virtutes ejus non ex incertis aliorum rumoribus didici, sed usu quotidiano cognovi, & meis ipsius oculis, (aliquot enim annis meas inhabitavit aedes,) inspexi. His etiam rebus effecit, ut clarissimus exsplendesceret, nec modo *Potentissimo REGI Nobis*, & *ELECTORI Saxoniae*, cum locus in Philosophorum Ordine vacaret, semel, atque iterum, ab Academia nominaretur, sed alibi etiam, ornandis Doctoris publici partibus, dignus haberetur. Nuper etiam Seminario Ministrorum Ecclesiae, quod in Praepotentis Imperii Principis Sede floret, praeficiendus erat Inspector. Sed aliter visum est Deo, qui eum tradendis, ac dispensandis, sua in domo, mysteriis, maluit operari. Hujus enim unius gratiae procul dubio debetur, quod praeter suam, & aliorum

expectationem, ab Amplissimo STADENSIS reipublicae  
Senatu, imprimisque Nobilissimis rerum sacrarum Curato-  
ribus, ad obeunda Pastoris primarii in Aede SS. Marty-  
rum COSMAE, ac DAMIANI, ea in Urbe, munia, solen-  
nissimis literis est vocatus. Quae ne temere a se amoliretur,  
divinae voluntatis, ac gubernationis, reverentia efficit,  
cujus, si uspiam, hoc certe in negotio, clara, minimeque  
obscura, vestigia deprehendit. Monitus vero ab Amplis-  
simis SCHABELIANI beneficii Curatoribus, ut, ex  
veteri lege, summos in Theologia honores capesseret,  
nomen suum apud Ordinem nostrum professus, licenti-  
am eos consequendi, more majorum, petiit. Nec ha-  
buiimus negandi causas. Cras igitur, quod felix, fau-  
stumque sit, edenda sibi specimina, Oratione quadam,  
de reliquis Papatus, nostrati Ecclesiae, praeter meritum,  
imputatis, Nobilissimus Candidatus orfurus est. Cujus  
recitationi ut Magnificus Academiae PRO-RECTOR,  
Per-Illustres COMES, Illustres LIB. BARONES, Patres  
item Conscripti, Reverendi Ecclesiae Oppidanæ Ministri,  
Ordinis Philosophici Assessores, Literarum denique fau-  
tores & literati, Civesque omnes, frequentes interesse  
dignentur, meo, & Collegarum, nomine, reverenter,  
ac benebole, invitantur. P. P. Dom. Exaudi, Anno Se-  
culari clo Iccc XVII.

---

VVITTEMBERGAE  
EX OFFICINA GERDESIANA.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-251250-p0018-6

DFG

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches  
Centimetres



Curriculum vita f. L. ab Ewig  
Pabo. Prim. f. Stad. Jan. 4.  
34 1746.

ORDINIS THEOLOGORVM 39  
IN  
ACADEMIA WITTEMBERGENSI

H. T.

DECANVS  
GOTTLIEB  
VVERNSDORFIVS

THEOL. DOCT. ET PROFESS. PVBL. ORDIN.  
AEDIS OO. SS. PRAEPOSITVS, ET SENAT.  
ECCLESIASTICI ASSESSOR

LECTVRIS  
SALVTEM PLVRIMAM DICIT.

de Corina et Damiano tutelaribus  
et patrois Facultatis Medicae in  
Academia Wittebergensi.

35

445

Sime - Vener. et  
Dr. Dr. Viri  
Theologi und  
Prof. R. Pol. et  
Cons. Nat. primar.